



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

32 Visitatio celerrimè debet fieri, quae celeritas, visitorum arbitrio  
relinquitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

concordiarum, quæ tantum suos obligant auctores, non autem successores, quominus ab Episcopis visitari, corrigi, & emendari etiam auctoritate Apostolica possint, & valeant, ut de voto Rotæ fuit ab eadem sacra congreg. decisum, *ut in declarat. super eod. c. 4. §. congregatio censuit. de voto.* & ita potest etiam visitare res, & bona, rerumque & bonorum capitularium administratores, *ut ibidem. §. præsupposito.*

31 Visitatores ¶ regulares à capitulis generalibus electi eandem habent auctoritatem in suæ congregationis monasteria, ac regulares in eis commorantes, quam alij præfides, ac visitatores in cæteros habent ordines, tenenturque suæ congregationis monasteria frequenter visitare, illorum reformationi incumbere, & ea observare, quæ sacris canonibus, & in sacro concil. Trid. sunt decreta, *ut cap. 8. sess. 25. de regul. & monial.* debentque omnes, & 32 singuli, ad ¶ quos visitatio spectat, paterna charitate, Christianeque zelo munus amplecti, modestoque esse equitatu & famulatu contenti, ac studere, quam celeritè (debita tamen cum diligentia) visitationem ipsam absolvere. conc. Trid. *in d. c. 3. circ. mod. sess. 24. de refor.* & licet celeritè à visitatoribus visitatio sit adimplenda, concilium tamen certum terminum præfigere noluit, hoc visitatorum arbitrio relinquendo. *sacr. congreg. eodem cap. 3. sub tit. Gadicen.*

33 Interim verò ¶ visitatores cavere debent, ne inutilibus sumptibus, cuiquam graves, & onerosive sint, neve ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa, pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, præter id quod ex reli-  
ctis pijs iure deberet, aut alio quovis no-

mine, nec pecuniam, nec munus quodeunque sit, etiam qualitercunque offeratur, accipiant, quacunque consuetudine etiam immemorabili non obstante, exceptis tamen victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, & non ultra, erunt ministranda *c. 1. §. procurationes, de cens. in 6. contrafacientes in acceptatione etiam sponte oblato- rum ad dupli restitutionem intra mensem tenentur, quo elapso, & non facta restitutione, suspensionis, & alias pœnas incur- runt. ut in cap. exigit. de cens. in 6. & conc. Trid. eod. cap. 3. §. quod, si quisquam, & vers. interimque c. cavendum c. inter cætera. 19. qu. 3. c. cum apostolus. ext. de cens. & c. exigit. eod. tit. in 6.* pro visitatione autem nihil unquam quis accipere potest, præter victualia, *ut in decis. super eodem c. 3. sub. tit. Mar- sican.* nisi constitutione antiqua caveretur, quòd ex omnibus legatis certum quid pro Episcopo detrahatur, quo casu potest Episcopus, etiam in visitatione, taxam huiusmodi exigere, quòd ad legata pia congreg. *super eod. c. 3. sub tit. Casar augustana,* & ubi adest immemorabilis consuetudo, quòd ab oppidis visitatis tribuantur victualia, & hospitia, à clericis verò certum quid in pecunia, si communitates non conquerruntur, servanda est consuetudo. *ut in d. c. 3. de cens. super eodem cap. 3. sub tit. Casar augustan.* ubi autem est consuetudo, quòd pro visitatione aliquid solvatur, est in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere consuetum, potius victualia subministrare, & possunt visitari, modò pecuniam, modò victualia, quotannis præbendo variare, non tamen quòd ad partem, ut pars in victualibus, pars in pecunia exolvatur, *ut in decis. super eodem cap. 3. sub. tit.*